

quatuor erant milites . Isti , qui Christi morti astiterunt . Isti , qui Centurioni , rerum summam in Calvario agenti , obedierunt . Ubi ergo Ministri Brutii , qui Christum crucifixerunt ? Ubi Brutii milites , qui Christi crucifixioni astiterunt , qui Christi vestimenta diviserunt , qui Christi sepulcrum custodierunt ? Sed de hoc latior inferius sermo redibit .

§. III.

*Judei in Christi apud Gethsemani deprehensione ,
apud Prætorium flagellatione , & in
Calvario crucifixione Lictores ,
Lorarii , ac Tortores , ex
parte , fuerunt .*

Carolus Sigonius , etsi in iis , quæ in prima Dissertationis parte disseruimus , contra nos moverit arma , in his tamen , quæ in hac altera probaturi sumus , amicas nobis porrigit manus . Etenim in lib. 7. de Republica Hebræorum cap. 13. totus est , ut probet , Judæos in Christi flagellatione , ac crucifixione , licitorum , lorariorum , ac tortorum , munus egisse . Hæc sunt verba Sigonii : *Præter milites vero , qui templum custodiebant , erant quoque ministri , idest lictores , quos ad comprehendendum reos , jussu Principum Sacerdotum , & populi , adhibebant . Quod si qui rei violati templi , aut alicujus gravioris flagitii essent , aut ejus opibus præditi , ut eos timerent , cum licitoribus custodes etiam milites adjungebant ; lictores , ut eos vincirent ; milites , ut vim , si forte irrueret , propulsarent . Probantur hæc omnia historia Christi .*